Q. D. B. V.

THESES MEDICÆ DE VENÆ SECTIONE,

QUAS

DIVINA FAVENTE GRATIA,

DECRETO ET AUCTORITATE

MAGNIFICI & GRATIOSISSIMI

FACULTATIS MEDICÆ

COLLEGII,

PRO

DISPUTATIONE INAUGURALI

AD

CAPESSENDOS HONORES DOCTORALES

SOLENNI ET PLACIDO ERUDITORUM

EXAMINI SUBMITTIT

JOHANNES GOTHOFREDUS STOESSERUS,

ARGENTINENSIS.

ad diem 15 *Mens. Maji An.* M DC XCIIX.



ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

VIRO

PERILLUSTRI atq; EXCELLENTISSIMO

DOMINO

GOTHOFREDO STOESSERO,

NOBILI DOMINO DE LILIENFELD,

HEREDITARIO IN DOELKAU &c.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

ELECTORI BRANDENBURGICO,

A CONSILIIS SECRETIORIBUS,

NEC NON

DUCATUS MAGDEBURGICI

VICE-CANCELLARIO

GRAVISSIMO,

MOECENATI SVO ATQVE PATRONO
OPTIMO,
PATRUO
PATRIAS VICES EXPLENTI,
SACRÆ REGENERATIONIS TESTI
BENIGNISSIMO,
HANC EXERCITATIONEM
MEDICAM INAUGURALEM
DEDICARE,
ET SE ET SUA STUDIA
QUAM HUMILLIME CONSECRARE
DEBUIT,
VOLUIT
TANTI VIRI
SUBJECTISSIMUS
DEVOTISSIMUS
CULTOR
JOHANNES GOTHOFREDUS STOESSERUS.



THESES MEDICÆ DE VENÆ SECTIONE.

THESIS I.



Ui Venæ Sectionem in totum rejiciunt, ſicut id ex antiquioribus fecit Eraſiſtratus, contra quem, ejuſque aſſeclas Galenus peculiari opere ſcripſit; ex Recentioribus Joh. Baptiſta Helmontius, ille per ignem philoſophus, Georgius Thomſon Helmontii ſimia, Cornelius Bontekoë acerrimus V. S. inſectator, Jan. Abrah. à Gehema calumniis potius, quam eruditione ſolida nobilis, aliique, illi certe Medicinam remedio generoſo, & in pluribus caſibus utiliſſimo, quod multis indicationibus ſufficienter ſatisfacit, & quandoque ſumme neceſſario, orbare volunt.

TH. II.

Non ſequitur anima & vita latent in ſanguine, E. Vena ſecanda non eſt: ſicuti hæc conſequentia non valet, in vino latet vis inebriativa, E. vinum non eſt bibendum.

TH. III.

Qui contra V. Sectionis verum uſum hunc verſum nobis objiciunt;

Diſcite mortales pretioſo parcere ſucco,

illis alterum regerere poſſumus:

Tam vitæ fons eſt, quam necis autor idem.

TH. IV.

Sicuti oborta tempeſtate naucleri dexteritas maxime elucet, ut quæ pro ſervanda navi conveniant, prudenter circumſpiciat & cordate exequatur, imo neceſſitate efflagitante, mercium, etiam pretioſarum, partem, ut homines & navem ab interitu ſervet, in procelloſum mare projicit: ita circa ſanguinis miſſionem prudentia Medica apprime conſpicitur, neceſſitate enim exigente & ſanguine copiâ vires gravante, ita ut Naturæ reſpuat imperium, eo æſtuante & tumultuoſo impetu in aliquam partem irruptionem faciente, ita ut aggeres tranſcendens intra ſuos alveolos contineri renuat, tunc omnino portio ejus quædam eſt deplenda, quo reliquus pacatior in venis fluat. Cum alias liquorem hunc in ſeſe utiliſſimum chare habendum & inſtar pretioſi theſauri ſummo ſtudio conſervandum eſſe libenter concedamus.

TH. V.

Qui V. Sectionem tanquam in S. Scriptura non conceſſam rejiciunt, ex allegatione hujus dicti, *qui ſanguinem profundit, ejus ſanguis quoque profundetur.* næ illi intelligendo faciunt, ut nihil intelligant.

TH. VI.

Istud Remedium tanquam inventum diabolicum non est diffamandum, quod cum plurimorum salute toto die utiliter instituitur.

TH. VII.

Medicus Naturæ bene operantis imitator, dum ipsa se quandoque à superfluo sanguinis onere fructuose levat, ejus ductum hoc passu merito sequitur.

TH. VIII.

Abusus non tollit verum rei usum, sic nec sinister ex male administrata V. Sectione (interdum etiam per accidens) superveniens eventus ejus legitimum usum tollit, si enim hæc consequentia valeret, vereor ne omnis remediorum apparatus esset proscribendus. Nam,

Vix prodest, quod non lædere possit idem.

TH. IX.

Facilis res est sanguinem è venis evacuare, & liquorem vitalem profundere, sed id cum levamine ægroti facere, id demum est prudentis Medici. Ita enim cures, ut non noceas.

TH. X.

Thesaurus vitæ in sanguine reconditus est, unde si aliis mediis ægro æque commode vel cito succurrere poterimus, sanguini parcatur.

TH. XI.

Qui Plethoram negant, eam nondum satis firmis rationibus exploserunt. adde, quod contra Sole meridiano clariorem experientiam loquantur. ast ubi

sensus

ſenſus certam fidem facit, non opus eſt rationibus.

TH. XII.

Vix aliter fieri poteſt in corpore juvenili, optime ſano, organis concoctionis bene conſtitutis, cibo & potu lauto, eoque copioſo utente, vitam ſine curis ſecure, ſine duris laboribus otioſe tranſigente, quin plethora generetur; Ingens enim ciborum εὐπέπτων, εὐχύμων καὶ πολυτρόφων, copia in ventriculum bene concoquentem ingeſta, chylum copioſum & inde ſanguinis magnam quantitatem neceſſario generat.

TH. XIII.

Non datur certius, promptius magiſque ſecurum Plethoræ, morborumque ex Plethora oriundorum remedium, quam V. S. Non enim jejunium & abſtinentia æque bene id faciunt.

TH. XIV.

Neque tamen in omni abundantia ſanguinem ſtatim mitti neceſſe eſt: alii enim, ut Galeni verbis utar, ſatisfacit inedia, alii cibi parcitas, alii ſoluta alvus vel purgatio, vel frequens balneum, alii ſola exercitatio, vel multa frictio abunde facit.

TH. XV.

Licet ſanguis in arteriis contentus non ſit plane idem cum eo, qui in venis continetur, ille enim ſpirituoſus magis & ſeroſus eſſe ſolet, tamen pro deplenda Plethora non plus præſtat arteriæ quam V. S. Cumque arteriotomia ſit difficilior, ob ſitus vaſorum profunditatem, tunicarumque denſitatem, & periculoſior,

ſior, ob hæmorrhagiæ & aneuriſmatis metum, ideoque arteriotomia intermiſſa V.S. merito præfertur.

Th. XVI.

Ubi V.S. indicatur, aliud tamen contra indicans eam diſuadet, cucurbitulæ & hirudines in ejus locum quandoque ſubſtitui poſſunt.

Th. XVII.

Minori cum periculo V.S. adminiſtratur quam Purgatio, illam enim regere poteſt artifex, hanc non idem.

Th. XVIII.

V.S. dum quantitatem ſanguinis demit, refrigerat; ideoque in morbis calidis, à ſanguinis orgaſmo, ebullitione, & nimia rarefactione, vaſorumque dilatatione, indeque ortis doloribus & vigiliis commode adminiſtratur.

Th. XIX.

Ubi à ſanguinis copia & impetu in extremitatibus vaſorum ingens provenit dilatatio & tenſio, ſanguine majus ſpatium affectante, & ſic jam adeſt διάθεσις φλεγμονώδης, neſcio, an V. Sectione melius excogitari poſſit remedium.

Th. XX.

Stante Circulatione Sanguinis, nihilominus V.S. revulſionis & derivationis gratia inſtituta omnino locum habet.

Th. XXI.

Cum ſanguis ex vena aperta ἀθρόως ruat, revulſio in fluxum & effluxum ſanguinis vitioſum in ordinem revocat. Derivatio ſibi relicta alio invitat.

TH. XXII.

In magnis hæmorrhagiis etiamſi V. S. revulſoria quibuſdam videatur, ac ſi quis afflicto vellet addere afflictionem, dantur tamen certi caſus, in quibus illa laudem ſuam meretur.

TH. XXIII.

Si V. S. evacuationis univerſalis gratia inſtituitur, perinde eſt, per quamnam venam ſanguis evacuetur: ſi vero pro ſcopo revulſionis vel derivationis ea celebratur, tunc nullo modo delectus venarum eſt rejiciendus.

TH. XXIV.

Delectus tamen ille venarum, ut in affectibus lienis ea, quæ dicitur ſalvatella, in capitis, ea, quæ inter pollicem & indicem, vel cephalica brachii, in hepatis vero Hepatica dicta ſecetur, nullus eſt.

TH. XXV.

In Revulſione quoad venarum delectum ſemper ad cor eſt reſpiciendum. Sic ſi pars laborans ſanguinem accipit à trunco aſcendente arteriæ magnæ, V. S. in pede, ſin contra à deſcendente, in brachiis revulſionis gratia inſtituitur.

TH. XXVI.

Influxu ſanguinis in partem aliquam jam facto, fruſtra de revulſione per V. S. cogitatur, niſi fluxio adhuc duret. Itaque in quarumcunque partium inflammationibus ſtatim ab initio vena aperienda, ut ſcilicet mature fiat revulſio, antequam influxus fuerit factus, vel vires deficiant, facienda item eſt copioſa & ſufficiens depletio, ut nempe vi vacui ſanguis alio trahatur.

TH. XXVII.

Revulſio omnis quæ ab extra intro fit, mala, v.c. malignitatis, exanthematum, bubonum, eryſipelatis, variolarum, podagricæ materiæ, ſcabiei, &c.

TH. XXVIII.

V.S. ſanguinem ventilat, quatenus nempe motum ejus liberiorem reddit, ut celerius circuletur, ne concreſcat & in motu ſubſiſtat, id quod etiam in oppreſſione virium & ſpirituum locum habet.

TH. XXIX.

V.S. ad prognoſin facit, ut ex emiſſo ſanguine ejus conſtitutio innoteſcat, & de ſeri ſanguiniſque proportione judicium ferri poſſit. Facit quoque ad curationem, inde enim elucet, an purgantibus, ſudoriferis, attenuantibus, diſſolventibus, aperientibus, rarefacientibus &c. ſit inſiſtendum.

TH. XXX.

Cachexia per ſe non indicat V. Sectionem, dantur tamen caſus, ubi nihilominus ea requiritur, victu laudabili, ut bonus ſanguis deſuper generetur, inſtituto.

TH. XXXI.

Non datur ſemper Plethora pura, ſed datur quandoque Plethora cacochymica. Evacuata autem parte vitioſi ſanguinis, qui reliquus eſt, eo facilius medicamentis alterari & depurari, & diæta convenienti ſuperveniente, melior regenerari poteſt.

TH. XXXII.

V. S. tum præſervationis gratia inſtituitur, ut morbus, antequam cauſa morbum factura in actum

pat, præcaveatur; tum curationis causa, ut actu jam morbum faciens è corpore tollatur.

TH. XXXIII.

Tempus morbi optimum est principium, non status, non declinatio, & quo velocius morbus ad augmentum properat, eo citius administranda V.S. Principiis enim hic quam maxime resistendum.

TH. XXXIV.

Morbi illi, qui per paroxysmos & circuitus suas exacerbationes habent, tempore intermissionis vel remissionis V. Sectionem requirunt.

TH. XXXV.

In Peste morborum malignorum Principe, reliquisque morbis malignis, V.S. exulet, non enim malignitas per V. Sectionem expugnatur. Cum tamen nulla regula sit sine exceptione, si ea administranda videtur, (quod tamen rarissime contingere existimo) statim ab initio adhibeatur, satius enim est in progressu morbi plane ab ea abstinere.

TH. XXXVI.

Quo majorem malignitatis gradum morbus adipiscitur, eo minus V.S. conducit.

TH. XXXVII.

In Febribus continuis & ardentibus, ubi V.S. indicatur, & tamen metus est malignitatis, statim post V. Sectionem exhibendum est alexipharmacum & cordiale, ne malignitas intro repens cor obruat: ex eadem quoque ratione somnus post V. Sectionem est prohibendus.

TH. XXXVIII.

In Febribus exanthematicis niſi primo ſtatim morbi inſultu, parcaque manu & caute inſtituatur V.S. ſub progreſſu morbi exanthematibus erumpentibus omnino ab ea abſtinendum eſt.

TH. XXXIX.

In Variolis & Morbillis V.S. non ſemper noxia, maxime adultis, & præcipue iis difficulter, natura humorum copia gravata, prorumpentibus. Quod & in hoc caſu hæmorrhagiæ earum eruptionem cum εὐφορία præcedentes ſatis demonſtrant.

TH. XL.

In acutis, ſi morbus magnus, æger in vigore ætatis & robuſtus, vena ſecanda.

TH. XLI.

Ubi pulſus magnus, vehemens, ac celer, tutius vena ſecatur, quam ubi frequens, & debilis micat, tunc enim caute eſt mercandum.

TH. XLII.

In morbo Hungarico venæ rarinæ tuto ſecantur, ventilatur enim ſanguis, & ne in motu concreſcens ſubſiſtat, proſpicitur.

TH. XLIII.

Vehemens Febris, ubi rubet corpus, plenæque venæ tument, ſanguinis detractionem requirit.

TH. XLIV.

In Febribus ardentibus ſæpe omnis calor, omnis febris, una quaſi vice aufertur ſola V. Sectione; ſicuti etiam dolores atrociſſimi ſæpe unica V. Sectione conquieſcunt.

TH. XLV.

In febribus ardentibus ubi V. S. conveniens eſt, nunquam tamen eo deveniendum, ut ſanguis uſque ad animi deliquium emittatur, ſic enim non tam febrem quam ægrotum ipſum jugulare poſſemus; quod tamen una vice fieri non poteſt, melius eſt, ut id fiat repetitis vicibus, videndum enim, non tam ut cito, quam ut etiam tuto curemus.

TH. XLVI.

In febribus ardentibus tam frequenter reiteratæ V. Sectiones, ita ut parum ſanguinis in corpore remaneat, quemadmodum in quibuſdam regionibus fieri ſolet, ſicuti in ipſis dictis locis non adeo laudandæ ſunt, ita multo minus in noſtris & frigidioribus regionibus imitandæ.

TH. XLVII.

Febres intermittentes V. Sectionem per ſe non adeo ſuadere videntur, niſi aliud quid urgeat, ejus enim abuſu protrahuntur quandoque, & redduntur pertinaciores.

TH. XLVIII.

Quandoque tantum abeſt ut juſto largiorem in Febribus V. Sectionem caloris & doloris remiſſio inſequatur, ut potius calor & cephalalgia quandoque incrementum ſumat.

TH. XLIX.

In Capitis dolore V. S. præſentaneum quandoque eſt auxilium, ita ut illo die ſæpe recedat dolor, id quod interdum etiam in doloribus dentium accidit.

TH. L.

In apoplexia ſanguinea V.S. utilis, in pituitoſa minus; unde Celſi effato in apoplexia V.S. vel occidit, vel liberat.

TH. LI.

In Deliriorum generibus uti Mania, Melancholia, Phrenitide V.S. ſæpe neceſſaria eſt. Præcipue vero maniaci largam & repetitam V. Sectionem ferunt.

TH. LII.

Epilepſia V. Sectionem per ſe non indicat, ideoque vix utilis, niſi ab aliqua ſanguinis evacuatione prohibita foveatur.

TH. LIII.

In vulneribus præcipue capitis, ejuſque contuſionibus, & commotionibus inſignioribus V.S. in tempore inſtituta inflammationem, febrem, dolorem, vigilias, deliria &c. præcavere poteſt.

TH. LIV.

Oculorum dolores V.S. ſanat, & in ophthalmia gravi ſæpe parum aliis auxiliis proficimus, niſi V.S. earum uſui præmittatur.

TH. LV.

In Angina vera venam ſecare ſtatim ab initio convenit.

TH. LVI.

In Pleuritide præcipue vera, & dolore verſus ſuperiora vergente, ſæpe inſigne primo ſtatim vel altero die adhibita V.S. auxilium adfert. De ejus tamen neceſſitate ex circumſtantiis judicandum; Multoties enim etiam abſque V. Sectione curatur.

Th. LVII.

Sæpe Aſthma à ſtagnante circa præcordia ſanguine oritur, quod frequenter V. Sectione ſubito levatur. Simile quoque in Catarrho ſuffocativo contingit.

Th. LVIII.

Quidam qui Cordis palpitatione vexantur, V. Sectionem maxime proficuam experiuntur.

Th. LIX.

Sanguinis ex pulmonibus per ſputum rejectio, à copioſi ſanguinis impetu oriunda, V. Sectione revulſoria optime curatur: minus vero locum habet, ſi ab eroſione & ſanguinis acrimonia ortum trahat.

Th. LX.

Menſibus ſuppreſſis, vel non rite fluentibus, & regurgitante verſus ſuperiora ſanguine, vena ſaphæna commode ſecatur, ut ſanguis ad uterum derivetur, idque præcipue tertio vel quarto die ante tempus conſuetæ evacuationis.

Th. LXI.

Morbi qui à ſuppreſſa aliqua ſanguinis evacuatione foventur, V. Sectione levantur.

Th. LXII.

In nimio Menſium fluxu ſæpe ſola ſectio venæ in brachio affectum hunc curare poteſt.

Th. LXIII.

Puerperis Lochiis ſuppreſſis commode adminiſtratur V. S.

TH. LXIV.

Arthriticis V. S. præservatoria circa æquinoctia convenit.

TH. LXV.

In V. Sectione vires requiruntur robustæ, si tamen vires sint debiles ex oppressione, V. S. coindicatur. Considerandum etiam, an in futurum quoque vires sufficiant.

TH. LXVI.

Ætas juvenilis, media, & senectus viridis, aptissima est V. Sectioni, prima ultimaque ætas non adeo facile sustinet hoc auxilii genus.

TH. LXVII.

Maxime tamen ubi de V. S. instituenda deliberatur, ad vires est respiciendum, ex quibus omnia sunt æstimanda. Firmus enim puer, robustus senex, & mulier gravida valens, tuto curantur. Non enim interest quæ ætas, sed quæ vires sint.

TH. LXVIII.

Graciles liberaliorem V. Sectionem ferunt obesis, quibus damnum à copiosa sanguinis detractione facile contingit. Serosis enim humoribus oppletur eorum corpus, facileque in cachexiam degenerat.

TH. LXIX.

Nimium ne crede colori. Non enim rubicundus faciei color semper Plethoræ index est, is enim & quandoque in scorbuticis, cachecticis, phthisicis, hydropicis apparet. Sæpe ii qui sunt pallidi, sanguine abundant.

TH. LXX.

Quibus natura debilius vel frigidius eſt corpus, illi læduntur magis ex ſanguinis evacuatione, quam ut opem inde ſentiant.

TH. LXXI.

Calidarum & Meridionalium regionum incolæ, vinum item bibentes, facile ferunt V. Sectionem.

TH. LXXII.

Αἱμοφόβοι non ſunt ad ſectionem cogendi. Nullum enim violentum Naturæ eſt proficuum.

TH. LXXIII.

Gravidis ex plethora morbum vel abortum timentibus, aut morbo aliquo magno laborantibus, commode V. S. præſcribitur, mediis etiam menſibus.

TH. LXXIV.

Sæpe tantum abeſt ut V.S. in gravidis abortum procuret, ut potius ab eodem in ſanguineis præſervet, & niſi detrahatur pars abundantis ſanguinis ille fœtum protrudat. Dum enim pars ſanguinis evacuatur reliqua maſſa ad ſui proruptionem ex utero moliendam, ſine qua raro datur abortus, ineptior redditur.

TH. LXXV.

In illis fœminis, quibus menſes non amplius fluunt, conſultum eſt bis vel ter in anno ſanguinem mittere. Quod & Hippocrates de iis prædicat, quæ in ſterili conjugio vivunt.

TH. LXXVI.

Cum menſtrua naturaliter fluunt, nulla V. Sectione opus eſt, niſi magna neceſſitas cogat.

Th. LXXVII.

Interdum purgatio V. Sectioni præmittenda, interdum V.S. purgationi, pro hujus vel illius indicantis urgentia. Si tamen alvus est obstructa, & V.S. inducias ferat, alvus prius blande leniente aliquo vel clystere moveatur.

Th. LXXVIII.

Tempus V. Sectionis aliud electionis, aliud necessitatis. Tempus optimum præservationis gratia est ver & autumnus.

Th. LXXIX.

Sub cane & ante canem, media æstate & hyeme, minus tuto, extra casum necessitatis, vena secatur.

Th. LXXX.

Post ver convenientior autumnus, hyems minus apta autumno, omnium ineptissima V. Sectioni est æstas.

Th. LXXXI.

Necessitas cum careat lege, non curat ullum tempus, sed tum quovis mense, die, hora, etiam vespertino & nocturno tempore urgentibus malis venam secare licet.

Th. LXXXII.

Quoad electionem temporis non adeo superstitiose cœli & siderum positus observandus, nec ex Calendariographorum tabulis commodum tempus aucupandum. In Novilunio tamen, silente Luna, & Plenilunio ipso, item si Ecclipsis Solaris vel Lunaris instat, ea consultius intermittitur.

Th. LXXXIII.

Dies optime eligitur ſudus, placidus, ſerenus, temperatus, præ nebuloſo, ventoſo, pluvioſo, & frigido.

Th. LXXXIV.

Tempus diei optimum eſt matutinum, hora à Solis ortu circiter tertia vel quarta, tum enim ſanguis in corporibus à ſole ſuſcitatur & extenuatur, coctione peracta, & excrementis per alvum & veſicam evacuatis, nec ſtatim ubi à ſomno ſurrexeris, ſed ubi ad horam unam vel alteram vigilaveris, veneriſque exercitio nocte præcedente intermiſſa.

Th. LXXXV.

Venæ quæ ſecari ſolent, ſunt venæ frontis, raninæ ſeu ſublinguales, jugulares, rarius tamen; In brachio ſunt cephalica, Baſilica, ſub qua arteria, & mediana, ſub qua nervus, & bicipitis muſculi tendo latet; ex quibus ea quæ magis apparet ſine delectu ſecanda. In manu prope pollicem cephalica die Haupt-Ader/ inter digitum minimum & annularem ſalvatella die Miltz-Ader/ quaſi ſalvet illa dicta. In pedibus iſchiatica die Brand-Ader/ circa talum prope malleolum internum ſaphæna die Roßen-Ader/ vena pollicaris prope pollicem pedum die Haupt- oder Ruck-Ader/ inter minimos digitos ſalvatella pedum die Gicht-Ader/ vulgo dicta.

Th. LXXVI.

Venarum pone aures ſectio non infert ſterilitatem, imo quandoque in dentium doloribus ſumme proficua eſt.

TH. LXXXVII.

Ante V. Sectionem non danda ſunt opiata vel adſtringentia, ne ſanguinis effluxus impediatur.

TH. LXXXVIII.

Conſuetudo introducta, ut tempore veris & æſtatis venæ dextræ lateris, autumni vero & hyemis ſiniſtri ſecentur, non adeo religioſe obſervanda eſt.

TH. LXXXIX.

Quantitatem mittendi ſanguinis, vires, ætas, corporis habitus, tempus, ſanguinis copia, fervor, ebullitio & impetus, ipſiuſque affectus magnitudo determinabit.

TH. XC.

Non tamen ad plures libras, id quod à Veteribus factum fuit, aſcendendum, ſed ultra libram unam in ſumma urgentia vix progrediendum. Tutius enim eſt infra ſubſiſtere. Præſtat enim bis tuto, quam ſemel male.

TH. XCI.

Semper ante finis mittendi ſanguinis faciendus, quam anima deficiat.

TH. XCII.

Uſitato ſanguis emittitur ad ℥vj. viij. quæ media eſt doſis. Medio tutiſſimus ibis.

TH. XCIII.

Si eodem die V. S. repetenda, oleo vulnuſculum illinatur, ſeu phlebotomo oleum illinatur. Pinguia enim conſolidationem impediunt.

TH. XCIV.

Venæ tam lancetta, quam phlebotomo commode aperiuntur.

TH. XCV.

Artus confricentur dum incalescant ac emicent venæ, & in loco versus cor pars arctius vincitur, ut sanguine in recursu versus cor aliquatenus impedito, vena tumentior in conspectum se det, & quo major renisus appareat, nec vena tam facile de loco moveatur, sinistræ pollice eam firmet, imo si tremula inconstansque vena ad scalpelli quemvis impulsum subterfugit, vel è sede sua dissilit, infra etiam vinculo constringi mos est; Si in manu vel pede vena aperitur, quo tumentior appareat, calidæ ante aquæ immergitur.

TH. XCVI.

Lipothymia, quæ quibusdam quotiescunque vena secatur, supervenit, optime præcavetur, si præbibant jusculum vel medicamentum confortans, & decumbentibus non vero sedentibus, venæ item minores magis aperiuntur.

TH. XCVII.

Si in Lipothymiam incidat, aqua frigida facies conspergenda, acetum rosaceum naribus exhibendum, vel aqua Reginæ Hungariæ, vel aliis odoratis naribus admotis deficientem refocillabis, constrictionem vinculo remisso solves.

TH. XCVIII.

Aperta vena ut sanguis è brachio eo melius fluat, bacu-

baculus manu detertus agitetur, manus fortiter comprimatur, si non fluat tussis imperetur.

Th. XCIX.

Promiscue tam subtilis & fluidus, quam crassus per foramen factum exit, nec refert an parva seu magna apertura fiat; quantitatem aperturæ vasis magnitudo determinabit.

Th. C.

Parvis fissuris utendum in phreneticis, aliisque mente motis, ut celerior vulnusculi conglutinatio fiat.

Th. CI.

Sanguis effluens non in commode diversis vasculis excipitur, ut differentia prioris à posteriori innotescat.

Th. CII.

Non statim post V. Sectionem cibus est sumendus, nec copiosus: ebrietas etiam nociva, post illam enim concoctio est debilior.

Th. CIII.

Cui sanguis phlebotomia diminutus est, haud ad consueta munia properet, neque celerius inambulet, neque ullo exercitationis genere se fatiget, neque venere utatur, animi perturbationes fugiat, una vel duabus horis post, alimentum boni succi & facilis concoctionis assumat, sumto cibo, conversatione & suavioribus colloquiis totum diei tempus fallat.

Th. CIV.

Peracta V. Sectione non statim superdormiendum,

dum, in iis tamen, ubi vigiliæ contumaces præcessere, vel ingentes dolores,& simul metus malignitatis abest, si somnus obrepat, aliquot post horis ad virium refectionem concedi potest.

TH. CV.

Falsum est primam V. Sectionem à morte liberare. Hoc tamen facile concesserim, primam V. Sectionem longe majorem alterationem inferre, quam in iis, qui illi jam à longo tempore assueti sunt.

TH. CVI.

Chirurgorum lucrosum commentum est, ei qui semel vel aliquoties V. Sectione usus fuit, singulis deinde annis Vere & autumno esse continuandum, potius res est indifferens, & de ejus necessitate judicandum ex indicantibus. Non enim ex actione semel iterumque celebrata sed pluribus vicibus longoque tempore exercitata consuetudo nascitur, & frustra usurpatur remedium, cujus indicans desideratur.

TH. CVII.

V. S. à longe jam tempore consueta non subito intermittenda plane, ad magnos enim potest disponere morbos.

TH. CVIII.

Sanguis pro temperamentorum diversitate plurimum differt,& in sanitatis latitudine maxima ejus est varietas.

TH. CIX.

Si paulo post cibum vel potum sumptum vena secetur, item sub febrium intermittentium insultus, sanio-

saniosum eum, incoctum, plurimoque sero scatentem reperies.

TH. CX.

Qui sanguis impetuose profluit, copiam sui, fervorem ac cor robustum notat; qui stillat, infirmum insinuat cor; mox vel tarde concrescens crassitiem vel tenuitatem. Crassus & viscosus obstructionibus est obnoxius.

TH. CXI.

In sanguine per V. Sectionem emisso consideranda, color, an rutilus, cæruleus, pallidus, lividus, viridis &c. Proportio seri & sanguinis quam erga se invicem habent. Spuma seu bullæ. Consistentia, an glutinosus, tenuis, fluxilis, viscosus &c. Contenta item quandoque. Sapore quoque serum examinari potest, an salium copia in eo exuberet.

TH. CXII.

Sanguis impense coloratus & rutilus vena secta emissus morbi maligni sæpe signum est.

TH. CXIII.

Sanguis apparenter bonus, non raro funesti exitus prodromus.

TH. CXIV.

Fœtor omnis in sanguine malus. Graveolentia seri & cruoris licet rara, certam tamen mortem denotare non sine contagii suspicione experti sunt Medici.

TH. CXV.

Cruor lividus, viridis tam corruptionem sui testatur, quam effervescentiæ & turbulentiæ fermentalis signa præbet.

TH. CXVI.

Sanguis emiſſus tardius vel nunquam concreſcens ejus corruptionem denotat, extinctionemque caloris vitalis.

TH. CXVII.

In febribus ardentibus ſi ſufficiens & proportionata ſeri quantitas adſit, bonum; ſin minus, contra.

TH. CXVIII.

Serum copioſum nimis ſupernatans, pravæ coctionis indicium, viſcerum debilitatem, vel potum copioſum denotat.

TH. CXIX.

Spuma ac bullæ in medio pelvis rubicundæ fervorem ac ebullitionem fortem; candidæ lentorem in ſanguine produnt.

TH. CXX.

Cruſta alba, quæ viſitur in ſuperficie ſanguinis, ventriculi debilis ſoboles eſt, & eſt chylus qui cordis obſequium eludit, nec in perfectum & ſpirituoſum ſanguinem eſt tranſmutatus. Vitium enim primæ coctionis non corrigitur in ſecunda. Cruſta variegata, colore viridi, flavo, corruptelam ſanguinis ulteriorem indicat.

TH. CXXI.

In Lue venerea ſanguinem cæruleum vel viridem apparere loquuntur experti, id quod in Scorbuto quoque interdum contingit.

TH. CXXII.

Color nigricans, qui in ſanguine in fundo vaſis hærente conſpicitur, non eſt melancholicus eruor; ſed color nigricans exinde eſt, quod ſanguis qui eſt in fundo

fundo patinæ aëri non ſit expoſitus, non vero ex ulla melancholiæ miſtura.

Th. CXXIII.

Non raro ſanguis emanans diverſæ naturæ & conſiſtentiæ ſubinde obſervatur, præcipue in Pleuritide & Peripneumonia, pro inæquali nempe ipſius ſanguinis miſcela & corruptione.

Th. CXXIV.

Superficies ſanguinis ubi poſt conſiſtentiam marmoris inſtar eſt variegata, inſignem humorum in maſſa ſanguinea confuſionem, putredini obnoxiam, diaphoreticis cohibendam, teſtatur.

Th. CXXV.

Ranioſa vel cinerea liveſcens, cruditatem, ex impedita fermentatione, & ſpirituaſcentia natam, antiſcorbuticis, ſale volatili abundantibus, tollendam arguit.

Th. CXXVI.

Si ſanguis inſtar hepatis vel parenchymatis cujuſdam concreſcit, incidentia, attenuantia, aperientia requirit.

Th. CXXVII.

Ubi vires debiles ex reſolutione, nulla adeſt plethora, primæ viæ humoribus excrementitiis ſcatent, appetitus proſtratus, dejectionum copia, V. S. nocet.

Th. CXXVIII.

A frequenti ſanguinis detractione nonnulli memoriæ jacturam obſervarunt.

Th. CXXIX.

Vena intempeſtive & frequentius ſecta ſpiritum pariter cum ſanguine exhaurit, innatum calorem eri-

pit & diſſipat, principes partes refrigerat, ut quaſi enervatæ & debilitatæ langueſcant, unde pallor & decoloratio corporis, cruditates multæ, à quibus mille incommoda, morbi diuturni & exitiales, præcipue Hydrops.

TH. CXXX.

Morbi frigidi diuturni à cruditatibus, cacochymia, colluvie ſeroſa oriundi per ſe V. Sectionem non indicant.

TH. CXXXI.

Abuſiva & frequentior V. S. ad cachexiam, Hydropem, morboſque frigidos diſponit. Imo in juventute crebrior ſine neceſſitate inſtituta, temperamentum admodum immutat, citam ſenectutem & hanc gravioribus morbis obnoxiam adducit.

TH. CXXXII.

V. S. varia ratione artifici negotium, & patienti moleſtiam adfert, dum vel vena ſecanda ob ſitus profunditatem ſeſe non offert, & vaſa ſunt parva admodum, vel cultelli aciem ob mobilitatem ſubterfugit, vel venæ & cutis vulnus ſibi invicem non reſpondent, unde ecchymoma oritur.

TH. CXXXIII.

Phlebotomia olim inter ignominias in Romana militia recenſita.

TH. CXXXIV.

Remedia uti in genere, ita & V. S. neceſſitate exigente dextre à prudenti Medico uſurpata, ſunt veluti θεῶν χεῖρες; ſiniſtre vero ab imperitis medicaſtris in uſum tracta, ſunt veluti gladius in manu furioſi.

FINIS.